



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

§. 44. Omnibus Christianis necessariam esse orationem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

quantum fortitudinis ad coercendos peccatores: quantum virtutis ad resistendum adversariis: quantum patientiæ in tolerandis imperfectis: quantum constantiæ in bonis promovendis: quantum denique habilitatis ad omnia iustitiæ munera exercenda? Hæc omnia sine speciali Dei gratia vix possunt in uno homine reperiri: ac proinde animarum cura sine manifesta Dei vocatione acceptanda non est: tum diu considerandum, quid valeant humeri, quid ferre recasent. Non debet præesse, qui non potest prodesse.

## §. XLIV.

*Omnibus Christianis necessariam esse Orationem.*

**T**anta est necessitas Orationis, ut fidei dogma sit, neminem sine illa Salutem consequi posse. Quis enim potest Deum vocantem sequi, nisi dono gratiæ adjuvetur; ejus autem auxilium quis potest sine oratione promereri? Idcirco docet Scriptura, oportere semper & sine intermissione orare (*Luc. 18: 1. 1. Theff. 5. 17.*) quia semper & in omnibus auxilio Dei indigemus. Semper autem orat, qui certa orandi tempora nullo unquam die prætermittit. Semper orat, qui omnia quæcumque agit purissima intentione ad Deum refert; oratio enim nihil aliud est, quam elevatio mentis in Deum. Semper orat, qui efficax orandi desiderium in corde jugiter conservat, nam ipsum desiderium oratio est. Bene orat qui bene vivit. Nemo vitiosus, nemo impius, nemo desertor fuit, qui non prius omne orandi studium abjecerit. Oratio canalis est, per quem fluunt in animam rivuli Divinæ gratiæ: eâ deficiente arefcit anima, & sensim perit. Nec sufficit, aliquot preces voce tantum absque ulla attentione, & reverentiâ, ut plerique faciunt, persolvere: nam de his conqueritur Deus dicens, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me* (*Isai. 29: 13. Matth. 15: 8.*) Et qui sic orat, non evadet Prophetæ comminationem, canentis, *Oratio ejus fiat in peccatum* (*Psal. 108: 7.*) Mendacia sunt, & inania verba, cum quis scelus operatur, & psallit Deo, *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum* (*Psal. 118.*) Totus in patinis est, & dicit, *Oblitus sum comedere panem meum* (*Pf. 101: 5.*) ridet tota die, vanisque gaudiis distulit, & ait, *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal. 41: 4.*)

Mandatis Dei non paret, & psallit, *Maledicti qui declinant à mandatis tuis* (*Pf. 118.*) Execrabiles sunt hujusmodi orationes, iram Dei erga orantem provocant, & duris suppliciis castigari merentur. Nemo autem Christiani nomine dignus est, nisi saltem bis in die, mane cum surgit & vespere antequam cubitum eat, mentem ad Deum elevant, & aliquo spatio temporis ferventer oret, ut tantumdem diei reficiendæ animæ tribuatur, quantum corpori nutriendo impenditur. Nec unquam dimittenda, aut diminuenda oratio, quamvis aridi in ea, & omni consolatione, ac spiritus suavitate qui orat destitutus sit: vera enim devotio & solida animi jucunditas non in fervoris affluentia, non in sensibili dulcedine, non in mollibus quibusdam affectibus, & lacrymis consistit; nam etiam Turcæ, & alii infideles in suis precibus & sacrificiis hæc interdum experiuntur; sed in prompta voluntate serviendi Deo, & à peccatis abstinendi. Quæ Dei sunt non sensu, sed solâ fide percipiuntur.

## §. XLV.

*Quæ dispositio ad orandum requiratur.*

**M**ulti sunt qui methodum & regulas perquirunt, quibus discant orare Deum, ac si oratio veluti ars quædam & opificium foret, quod certis quibusdam legibus contineretur. Non damno præcepta orandi à sanctis & piis viris præscripta, sed sola non sufficiunt, nisi adsit continua cordis & sensuum custodia, sine quâ Spiritus orationis haberi non potest. Cor enim totâ die dispersum & dissipatum, & in vanis hominum fabulationibus occupatum, quomodo poterit in oratione ad Deum accedere, & de maximo salutis negotio cum illo agere? Magna hæc hominum illusio est existimantium, se posse brevissimo horæ intervallo rem homini terreno difficillimam peragere, à qua totâ die alieni fuerunt, & de qua antea nec quidem cogitarunt. Oratio mentem requirit puram, & à rerum terrenarum imaginibus liberam, ut soli Deo vacare possit. Nulla ad eam magis idonea dispositio, quàm integritas vitæ, & morum innocentia. Qui ejus studio incumbere & in eo progredi cupit, tanti debet celestia aestimare, ut terrenis veluti mortuus sit, nullumque in eis solatium inveniat. Bona est oratio, quam fides & humilitas comitantur.

## §. XLVI.